



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vniversalis Historiæ Ecclesiasticæ Medvlla**

**Pareus, Daniel**

**Francofurti, 1633**

Imperatores Romani Ab Augusto ad Traianum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64973](#)

latrone pastor, ex lupo ouis, Ecclesiam Christi  
longe lateque in Asia & Europa propagauit:  
tandem Romæ ad tribunal Neronis attractus,  
capite truncatus est, anno Christi 68. Doctri-  
næ & reliquæ vitæ Pauli historia, ex ipsius  
PAVLI Epistolis, & Actis Apostolorum sumi  
potest.

IMPERATORES ROMANI AB:  
Augusto ad Traianum.

**S**ceptro igitur à Iuda ablato, anno Imperii Octauii Augusti 42. natus est verus Augustus, magnus ille & honorabilis Princeps pacis, pater patriæ, Imperator exercituum summus, & salutis humanæ unicus instaurator, Dominus & Seruator noster Iesus Christus. Sub Augusti successore Claudio Tiberio Neroni, se ipsum victimam obtulit Deo Patri, pro redemptione totius generis humani. Hic Tiberius in Christi doctrinam nihil molitus est, motus Pilati narratione de mirabilibus Christi facinoribus scripta.

Caius Cæsar Caligula patronus fuit Herodis Agrippæ, cuius catenam ferream; qua vinclitus fuerat, in auream eiusdem ponderis mutauit: & Herode Antipa cum Herodiade in exilium ablegatis, totius Iudææ Regnum tribuit: qui tamen superbia elatus, cum sibi ut Deo in theatro Cæsareæ passus esset acclamari, intenorum dolore correptus subito, & à vermis erosus, misere perire. Sub hoc Caligula Pontius Pilat-

Pilatus exui, Annas, Caiphas, & multi Scribe ac  
Pharisei, hostes Christi, variis poenitentiis diuina vltione sublati sunt.

Tiberii Claudi Drusi successor, Domitius Nero, primus Christianorum persecutor, eos in cruciatus inquiritos dedit, alios pellibus ferarū insutus in mutuam lanienam incitauit, alios in ignem coniecit, eoq; ardente noctu ludos tanquam ad facem nocturnam commisit: donec à suis in angustias extremas ad actus, fugitiuus, inter summos conscientiæ terrores, hausto veneno, & manibus sibi ipsi allatis interiit. Sequentes Imperatores, Sergius Galba, A. Vitellius, Otho Sylvius, non ita diu imperio præfuerentur.

Cum vero Iudæi sub Agrippa defecissent à Romanis, bello semel atque iterum sub Imperatore Flauio Vespasiano petiti sunt: donec tandem Titus filius, iusto Dei iudicio ac permisso, ciuitatem Hierosolymam occupauit, incendit, delevit, vindictam sanguinis effusi, & spreti servatoris, horribilem, à Iudæis repetens, cuius excidii vix simile ullis in historiis exstat exemplum.

Delera est autem sancta ciuitas, cum templo augustissimo, & infinitis millibus populi Iudæi, circiter annum Christi 72. ut esset perpetuum testimonium exhibiti Messiae, & abolitæ politiæ Mosaicæ; atque exemplum iræ Dei aduersus omnem iniquitatem.

Titi Vespasiani frater, Flavius Domitianus, primus D B V M se appellari iussit: publica

G. 66

edt.

edicta contra Christianos promulgauit, & persecutionem in eosdem acriter exercuit.

Nerua Cocceius, occiso Domitiano, Christianis pacem dedit, & in exilium eiectos in patriam reuocauit: inter quos etiam fuit Iohannes Evangelista, qui à Domitiano in Pathmon insulam relegatus fuerat.

### EPISCOPI ROMANI.

**L**inus, natione Tuscus, primus est, quem scriptores pleriq; post Petrum ponunt. Functus est Episcopatu Romano annis II. mensibus 3. diebus 12. Decollatus scribitur anno secundo Titi Vespasiani: anno Christi 82.

Lino in Episcopatu Romano successit Cletus, si Platinæ & Nauclero credimus: Irenæus, Eusebius, Hieronymus, & alii, nullam prorsus Cleti faciunt mentionem: sed Anacletum, natione Græcum, proximum post Linum ponunt: qui tyranni Domitiani iussu martyrio sit coronatus. Alii sub Traiano capite truncatum fuisse scribunt: & Lino successisse Clementem, natione Romanum; huic demum Anacletum. Tam certa est pontificum Romanorum successio.

### HÆRETICI.

**T**amen si vna cum Apostolorum vera doctrina etiam enata est pseudoapostolorū falsa religio, zizania cū critico; tamē minus periculi fuit.